

minis, 5.) sanguis maternus per venam umbilicalem, que inter ca-
nes citius suam accipit perfectionem, affluit, ut spatia illa inania,
ubi futurum est hepar, instar filamenta & stamina spermatica, imple-
at, ibique effusum calore benigno uteri motuq; distitutum concre-
scat, & massam illam sanguineam pro hepatis parenchymate effor-
met. Suadet hoc ejus figura, quam à partibus circumjacenti-
bus accepisse videtur. Huic sententiæ *Fernelii* observatio fa-
vere videtur, qui sæpius foetum die quadragesimo semidigiti
magnitudine ejectum vidit, cujus partes omnes apparebant
conformatae albæ ac spermaticæ, excepto jecore rubescen-
te, nil nisi sanguinem concretum repræsentante. Alii hepar
in adultis solùm naturaliter purpureum, in embryone verò al-
bicans esse affirmant. Nigricans, ac lividum in infante, ver-
rucis abundans in virgine; arrosum à sublimatō errore assumtō
in aliō observavit *Salmuth*, observ. 4. 5. & 9. cent. 1. In aliis de-
prehensum fuit albicans forinsecus. *Schenck*, l. 3. observ. in aliis
atrum omninò & simul densum, teste *Gvainer*, consil. 563. durum
siccum, & coloribus variegatum *Ballon*, 2. epid. p. 264. duris-
simum, & ceu corium torrefactum, *Gvainer*, consil. 194. sic-
cum etrimis dehiscens *Fernel*, l. 6. pathol. c. 8. & *Platerus* tr. l. 1. c. 3.

1. Hoc jecoris parenchyma variis afficitur morbis & sym-
ptomatibus; quorum tamen quædam jam non amplius ad he-
par, sed ad aliorum viscerum vitia sunt referenda. Diarrhæa
enim chylosa, & fluxus cruentus hepaticus olim dictus non am-
plius nidū in jecore, sed alibi habebunt. Nō rarò quoq; in inflamma-
tione, abscessu, ulcere & gangrenâ corripitur. Inflammatio ejus
aliis hepatitis, *Plauto* morbus hepaticus dicto, non caret pericu-
lò; feliciter tamen curata est ab *Hildano*, cent. 2. observ. chirurg.
nec non ab aliis. Magna si sit inflammatio, & in gracili abdo-
mine, manu appositâ deprehendi potest. In gibbâ parte si sit
inflammatio, & tumor, dyspnœa, & tussis sicca sequitur.
Non tamen quivis tumores hoc dant effectum; sed insigniores
saltem, *Zechio* in consultat: med. 11. monente. Tussim in dubi-
um vocat *Argentarius* in Comm. in Gal artem quòd ab hepate
malè affecto prodire queat: quum tussis, ait, nequeat fieri nisi in
aspera